

DISSERTATIO II.

DE POENITENTIA SECUNDUM QUOD EST VIRTUS.

D. Thom. Quæst. 85.

ARTICULUS I.

Utrum Poenitentia sit virtus specialis; & quæ?

Suppono contra Novatores, virtutem Poenitentiae non solum importare respicientiam, seu propositum novæ vitæ, sed etiam odium, detestationem, dolorem, & expiationem præteritæ. Ita declarat Trid. Sess. 14. c. 4. constatque ex Scripturis & Patribus Joël. 2. *Convertimini ad me*, inquit, *Deus, in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra. Isaï. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime meæ.* Idem probant Poenitentia Davidis & Nini- vitarum, lacrimæ Petri, & mulieris peccatricis. Idem SS. Patres Aug. Ep. 54. ad Maced. *Nihil aliud agit, quem veraciter poenitet, nisi ut id, quod malit fecit, impunitum esse non sinat.* Greg. Hom. 34. *Poenitentiam agere, est antea mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Neque juvat Hæreticos, quod Poenitentia græcè dicatur *Metanoia*, quæ latinè redditur, *Respicientia*. Id quidem verum est secundum Etymologiam nominis, non secundum ejus significationem: usurpat namque a Græcis ad significandum non solum respicientiam, sed etiam odium, dolorem & expiationem peccati. Sic Lactantius 1. Divin. Inst. c. 24. *Respiciat*, inquit, *& mentem suam quasi ab insania recipiat, quem errati piget, castigatque seipsum demerente, confirmatque subinde ad rectius vivendum.* Et Basilus Orat. 3. de Siccitate, poenitentiam Nini-vitarum, quæ fuit in jejunio, sacco, & cinere, vocat *Metaneam*.

Hæc nunc sufficiunt de ista Quæstione; reddidit enim & explicatius elucidabitur infra, dum probabimus, dimissa culpa peccati remanere penam temporalem luendam. Item, dum dicemus de necessitate satisfactionis. Jam ad quæstionem propositam

Dico 1. (*Hic q. 85. art. 1. o.*) Poenitentia est virtus. Prob. 1. (*Ib. in arg. q. 3. c.*) Dantur præcepta de actibus virtutum; atqui datur præceptum de Poenitentia Matth. 3. *Poenitentiam agite*; ergo. 2. (*Ib. o.*) Virtus est habitus electivus secundum rationem in mediocritate consistens; atqui talis est Poenitentia: ergo. Prob. Min. Poenitentia assumit dolorem moderatum de peccato cum intentione ea removendi; quod omnino rationi consentaneum est: si enim esset immoderatus dolor, induceret in desperationem, sicut Poenitentia Cain & Judæ; ergo. Intelligit dolorem, non qui est in appetitu sensitivo, nec ad rationem pertinet, & ideo non est virtus, sed passio; sed qui est in voluntate, quique est cum electione, & ideo pertinet ad rationem.

Dico 2. (*Ibid. art. 2. o.*) Poenitentia est virtus specialis. Prob. 1. (*Ib. in art. 9. s. & o.*) Quia de ea datur præceptum speciale, ut dictum est. 2. Quia, ubi occurrat specialis actus laudabilis & difficilis, ibi necesse est ponere speciale virtutem; quia habitus sunt propter actus, & distinguuntur per illos; atqui in poenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, & difficilis, scilicet operari ad destructionem peccati in quantum est offensa Dei, eamque digna satisfactione reparare: ergo. Confirm. Virtus, cujus objectum est speciale distinctum ab objectis aliarum virtutum, est virtus specialis; quia habitus virtutis specialificantur ab actibus & objectis; atqui objectum Poenitentiae est tale: ergo. Prob. Min. Objectum Poenitentiae est offensa Dei expiabilis, seu jus divinum reparabile per satisfactionem; quæ non sit ad æqualitatem perfectam; atqui tale objectum est speciale distinctum ab objecto cujusvis alterius virtutis, ut per singula discurrunt patet: ergo.

Porro ad majorem hujus Conclusionis & totius presentis materie intelligentiam, pluriusque instantiarum solutionem; observandum est, plures rationes in peccato mortali distingui. 1. Peccatum mortale est malum morale bono honesto ut sic repugnans; & quia ab eodem principio procedunt amor boni & odium mali oppositi, ideo dolor & odium peccati sub ratione mali moralis a sola voluntate procedit, supposita Anteriori sententia, quod voluntas sine habitu addito sibi sufficit ad profectionem boni ut sic. De quo alibi dixi. 2. Peccatum est malum divinum, seu divinæ bonitati contrarium, divinam amicitiam dissolvens, & sub hac ratione peccatum odit charitas. 3. Peccatum est malum ipsius hominis, quem bono rationis nudat, jure ad beatitudinem, omnibusque

virtutibus & donis spoliatur. Et sic peccatum odio habet vel voluntas in amorem sui satis sponte propensa, ut jam dixi; vel charitas proximi, quæ bene ordinata incipit a seipso; vel potius spes, quæ, cum bonum divinum & æternam beatitudinem amore concupiscit amet, æternam proinde miseriam & hujus miseræ causam, peccatum scilicet, detestatur. 4. Peccatum est aliquod speciale malum, alioquin specialis virtus honestati repugnans; v. gr. ebrietas honestatem temperantia, adulterium honestatem castitatis, furtum honestatem justitiæ extinguit. Et sub hac ratione singulari spectatum peccatum quilibet virtus ipsi opposita odit & fugit, sive præsens, sive futurum, sive præteritum. 5. Denique peccatum est injuria, & offensa Dei, non quatenus est summum bonum, sed quatenus est suppressus Dominus habens jus non jurisdictionis duntaxat, sed proprietatis, in omnes hominum actiones, ut ad eum tamquam ad ultimum finem referantur, quæ injuria seu offensa sit ab homine expianda & reparanda. Et sub hac ratione peccatum immediatè respicit Poenitentia, quæ tamè ab aliis virtutibus, & maxime a charitate omnium Regina, imperari potest. Sed illos actus elicere, quibus Deo ut supremo Legislato-ri & Domino offenso satisfacit, atque occurrentes difficultates vincere, ad speciale virtutem Poenitentia pertinet; quæ proinde specialis virtus censenda est, quantumvis ad objecta omnium aliarum virtutum se extendat, quia illa respicit sub motivo proprio, adeò diversa formalitè in ratione objecti. Ex his attende perpensis, & cum probationibus Conclusionis collatis, habes refutatæ omnes alias opiniones, & difficiles objectiones solutas. Hinc namque

Colliges 1. Poenitentiam non esse conditionem generalem omnium virtutum; neque, ut voluit Alensis, esse virtutem generalem aggregationem multarum virtutum: quia, licet Poenitentia detestetur omnia peccata opposita omnibus virtutibus, non tamè ut sunt illi contraria, sed sub aliqua ratione speciali, scilicet ut sunt offensa divini juris expiabilis per inæqualem satisfactionem. Colliges 2. (*Ib. ad 1.*) Poenitentiam distingui a charitate; quia, licet utraque respiciat & odio habet peccatum, sub diversa tamen ratione formali: Charitas detestatur peccatum ut oppositum divino bono, & malum Dei præcisè; Poenitentia verò detestatur illud ut offensionem divini juris emmendabilem & reparabilem per satisfactionem; adeoque, licet sit idem objectum materiale, est diversum formale.

Dices 1. Charitas etiam operatur destructionem peccati; habitus enim intendens bonum operatur ad destructionem mali oppositi: ergo nulla differentia. R. D. Ant. Christus etiam operatur ad destructionem peccati ut oppositi bono divino, quod unicè amat, C. Ant. ut oppositi divino juri, compensabili per satisfactionem, N. Ant.

Repones. Qui eliceret actum Charitatis perfectæ, vel haberet perfectum dolorem de peccato, ut est malum Dei præcisè, omnino & absolute destrueret peccatum: ergo superfluit Poenitentia ut distincta virtus. R. N. Cons. Quia iste perfectus actus charitatis virtualitè & eminentialitè includeret actum Poenitentiae, in quantum charitas odit peccatum ex altiori & propius debet esse, si præceptum urget, & facultas adesse. Sicut enim, licet charitas virtualitè adimpleat totam legem, non tamè superfluit alia virtutes morales, quæ specialia præcepta adimplent ex specialibus motivis.

Dices 2. Actus contritionis est præcipuus Poenitentiae actus; atqui est a charitate: ergo R. D. Min. (*Ib. ad 1.*) est a charitate imperativè, C. elicitive, N.

Repones. Contritio est dolor de peccato propter Deum in se summè bonum & dilectum; atqui talis actus est a charitate elicitive: ergo. Prob. Min. Amor boni propter Deum, ut summè bonum, & summè dilectum, est amor charitatis: ergo a contrario dolor mali, & c. R. D. Maj. Contritio est dolor de peccato propter Deum summè bonum & summè dilectum; ita ut ly propter, dicat motivum imperans & accidentalitè intrinsecum, C. Maj. ita ut dicat motivum specificans & essentiale, N. Originatur ergo contritio & imperatur a charitate, & hoc sensu dicitur propter Deum summè bonum, & summè dilectum; formalitè autem, & essentialitè est de peccato propter jus divinum læsum reparabile per satisfactionem.

Re-

Replicabis. Ly propter dicat motivum specificans, & essentiale: ergo. Prob. Ant. Contritio differt specie essentiali ab attritione; atqui non per hoc quod contritio sit propter jus divinum læsum reparabile (cum id ipsum habeat attritio) sed per hoc quod contritio sit propter Deum, ut summum bonum, & summè dilectum, attritio autem propter turpitudinem peccati, seu metum poenarum: ergo. R. huic argumento varias a variis adhiberi solutiones. 1. Quidam negant, contritionem differe essentialitè ab attritione, sed accidentalitè tantum, & ex principio extrinsecò. Ita Contenson libr. 11. p. 3. Diss. unica spec. 2. §. *Divisio contritionis*. 2. Alii, concessa Maj. distinguunt Min. sic. Contritio differt ab attritione per hoc, quod contritio sit propter Deum summè dilectum, præcisè secundum se, N. proit ly bonitas, & dilectio modificatur per expiabilitatem, & satisfactionem peccati, C. Sic v. gr. adulterium distinguitur essentialitè a simplici fornicatione in genere luxuria, non præcisè, quia est ad non suam, quia sic esset extra materiam luxuria, & ex libidine sic efficitur, ut non curet injustitiam committere. Ita Joannes a S. Th. hic art. 1. 3. Alii deique sic distinguunt Minorem. Ita ut divina bonitas sit conditio sine qua non objecti contritionis, C. ita ut sit ejus objectum formale, N. Hæc solutio affinis est præcedenti. Verum hoc argumentum reddidit, & accuratius discutietur infra de Contritione.

Dices 3. Solæ virtutes Theologicæ non consistunt in medio, nec patiuntur excessum; atqui Poenitentia non patitur etiam excessum; non potest enim nimis detestari peccatum: ergo est virtus Theologica; atqui non fides; nec spes: ergo charitas. R. D. Min. Non potest nimis detestari peccatum, ut oppositum divino bono; & amicitia Dei, C. ut sit offensa Dei satisfactione poenitentis resarcienda, N. Min. Talis enim potest esse dolor, qui inducat in desperationem, qualis fuit Poenitentia Cain, & Judæ.

Repones, id oriri ex parte subjecti, non ex parte objecti, ut in virtutibus Theologicis: ergo. R. N. Ant. Iste enim excessus oriri potest ex parte objecti; nam Poenitentia objectum non est Deus, sed satisfactio inæqualis, & quidem ex meritis objecti remoti, scilicet peccati ut reparandi, pensanda juxta regulas prudentiæ humanæ saltè infusæ, ita ut locus, modus, & tempus satisfaciendi constituatur pro numero, & gravitate criminum; virtutes autem Theologicæ, in quantum est ex parte objecti, nullis prudentiæ humanæ regulis subjacent.

Porro, Poenitentiam non esse virtutem Theologicam, inde patet, quod virtus Theologica respiciat directè Deum, seu aliquod divinum, tanquam objectum, quod attingit, & materiam circa quam versatur. Sic charitas attingit directè, & ut quod, Deum ut bonum in se; fides ut veracem; spes ut nobis bonum, & auxiliantem. Poenitentia verò solum respicit Deum, ut objectum, cui reddat debitum juris violati. Pro materia autem, seu objecto quod, respicit actus humanos, v. gr. confessionem, contritionem, & c. quibus hoc debitum Deo reddit: sicut Religio respicit pro materia debitum cultum, Deum autem pro objecto, cui illam reddit.

Colliges 3. contra Cajetanum, Poenitentiam distingui a Religione, quia habent distincta objecta formalia: Religio enim respicit pro objecto cultum divinum, ut reddendum Deo, tanquam supremo principio, & benefactori, propter hanc ejus excellentiam; Poenitentia verò respicit id quod est reddendum Deo, ut offensa: Ita D. Thom. in 4. Dist. 14. q. 1. art. 1. Quæstione 5. Imò istæ virtutes habent conditiones contrarias. Deus enim ut Benefactor, qualis respicitur a Religione, supponitur, & respicitur ut placatus, quia ut Benefactor; Poenitentia verò respicit ipsum ut placandum, quia ut offensum; & sic offert illi, non cultum ut Benefactori, & Domino, sed placationem, & recompensationem ut offenso, per modum punitionis, & vindictæ de scelere commissio. Colliges 4. contra Contensonum, Poenitentiam distingui a timore filiali; quia objectum timoris etiam filialis est Deus, ut potens infligere malum, scilicet privationem sui, seu saltè culpa imminens propter Dei reverentiam evitanda; adeoque timor non fertur in suum objectum accedendo, sed fugiendo, & resiliendo in propriam parvitatem: objectum autem Poenitentiae est jus divinum læsum per culpam præteritam emmendabile, & compensabile; quæ objecta multum differunt.

Nec refert, quod D. Th. art. 5. seq. dicat, quod actus Poenitentiae sit a timore filiali, sicut ab immediato, & proximo principio; quia S. Th. ibi non agit de principio elicitive actus poenitentiae, sed imperativo. Ex hoc enim quod quis reverentur Deum ut Patrem, & timeat ipsum offendere, movetur, ut pro peccatis commissis ipsi offerat aliquam satisfactionem.

Dico 3. (*Hic q. 85. art. 3. o.*) Poenitentia est pars potentialis, seu species imperfecta justitiæ. Prob. 1. Pars, (*Ib.*) scilicet quod sit species justitiæ. Justitia est ad alterum, cum quadam commutatione; atqui sic est Poenitentia; est enim dolor

de offensa Dei expiabili per satisfactionem, quæ est quadam commutatio: ergo. Prob. 1. Pars, (*Ib.*) scilicet quod sit pars potentialis, seu species imperfecta justitiæ. Pars potentialis, seu species imperfecta justitiæ dicitur, quæ, cum ejus rationem participet, deficit tamè ab aliqua ejus conditione, seu perfectione; atqui poenitentia deficit in aliquo a perfecta ratione justitiæ: ergo. Prob. Min. Perfecta justitia dicit perfectum æquale, seu justum simpliciter inter duos æquales; atqui poenitentia non dicit justum simpliciter inter duos æquales, sed justum secundum quid, quale est inter illos, quorum unus est sub potestate alterius, cui non potest reddere æquale, ut filius ad Patrem, servus ad Dominum: ergo.

Si dicas, quod Poenitentia reddat Deo totum, quod illi abs-tulit peccatum, scilicet conversionem ad ultimum finem R. quod id non præstet per actum, quo Deus tantum honoratur, quantum in honoratus fuit per peccatum. Poenitentia namque subjicit tantum creaturam finitæ Deo infinito; peccatum verò subjicit Deum infinitum vili, & finitæ creaturæ; ac longè magis in honoratus Deus ex eo quod subjicitur vili creaturæ, quam honoratur ex eo, quod vilis creatura ipsi subjicitur, ut dicitur est de peccatis. Adde, quod totum, quod reddit peccator Deo, sit ex bonis ipsius Dei offensi, & insuper pluribus aliis titalis ipsi debitum.

Dico 4. (*Ibid. ad 3.*) Poenitentia reducitur ad justitiam commutativam: quia, ut dictum est, fit secundum commutationem quadam, quatenus scilicet pro offensa exhibetur emendatio; & satisfactio, ratione cujus Deus renittit offensam; ex gratia tamè, quia satisfactio est imperfecta. Ex hinc usque dictis colliges, objectum formale virtutis Poenitentiae esse reparationem ad inæqualitatem juris divini læsi; seu, quod idem est, ipsum jus divinum, proprietatis scilicet, læsum, reparabile per aliquam compensationem. Objectum materiale proximum actus poenitentis, quibus hæc reparatio exhibetur, materiale remotum ipsum peccatum. Tandem, Poenitentiam rectè sic definiri: *Habitus inclinans poenitentem, ad reparandam injuriam Deo illatam per peccatum.*

ARTICULUS II.

De subjecto, & principio Poenitentia.

Dico 1. (*Ibid. art. 4. o.*) Voluntas est subjectum proximum Poenitentia virtutis; quia, ut modò dicebam, Poenitentia est species justitiæ; subjectum autem proximum justitiæ est voluntas.

Dices. Appetitus sensitivus experitur difficultatem in operibus Poenitentia. R. hanc difficultatem vincit per virtutes alias morales, fortitudinem, temperantiam, & c. in appetitu sensitivo residentes. Hinc colliges, dolorem, qui in poenitente requiritur, debere esse rationalem, seu appetitū rationalem, non necessariò sensitivum; & quamvis ille quandoquæ conjungatur priori, & bonus sit, non tamè est ipsa Poenitentia, sicut dolor, qui est in voluntate; sed ejus comes, ac signum, quod diffiçè aliquando habetur in iis, qui sunt duri sensus, aut temperamenti hilaris.

Dico 2. Subjectum remotum Poenitentia est quilibet homo peccati reus, seu capax. (*Suppl. q. 16. art. 1. s. 3.*) Prob. Poenitentia est virtus, seu habitus, quo homo promptus redditur ad dolendum de peccato commissio, in quantum est offensa Dei; atqui non solum is, qui peccatum commisit, sed etiam qui potest committere, potest esse promptus ad dolendum de peccato, casu quo committat illud: ergo.

Hinc Inferes 1. Poenitentiam quoad habitum fuisse in Adamo, etiam antequàm peccaret. 2. esse in parvulis baptizatis, quia infunditur simul cum gratia. 2. remanere in beatis, non solum quoad ornatum, sed etiam quoad actum, non quidem doloris, sed displicitia, & gratiarum actionis pro misericordia præstita, & gaudii de satisfactione alias peracta. Inferes 2. Non esse in Christo; quia absolute fuit impeccabilis: non datur autem virtus, cujus actus est absolutè, & ex omni parte impossibilis. Neque etiam fuit, aut est in Angelis, quia Angeli immobili, & inflexibili libertatis arbitrio post deliberatam electionem gaudent, ut docetur in Tract. de Angelis. Undè poenitenciam non possunt, qui priorem voluntatem mutare non possunt. Utrum autem fuerit in Beata Virgine, dubium est. Quidam affirmant; quia, licet ex privilegio non potuerit peccare, potuit tamè attentè ratione status viatoris, & conditione creatæ libertatis. Quidam negant; quia, iniquum, non datur habitus ad actus absolute impossibiles, undecumque illa impossibilitas oriatur.

Dico 3. (*Hic q. 85. art. 5. o.*) Communis, & ordinariè principium Poenitentia, quantum est ex parte voluntatis, est timor; ita quod timor servilis sit principium remotum, timor filialis proximum. Conclusio intelligenda est, non de habitu Poenitentia, qui a Deo infunditur simul cum gratia in justificatione.

Fif

ne,

ne; sed de actibus, quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur.

Prob. (Ibid.) Actum Poenitentiae primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. ultimo: *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Secundus actus est motus fidei, juxta illud ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c.* Tertius est metus servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur, juxta illud Isaiæ 26. *Sicut quis concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus, scilicet per poenitentiam.* Quartus est motus spei, quo quis sub spe venie consequendæ assumit propositum emendandi, juxta illud. Ecclia. 1. *Timor Domini expellit peccatum;* undè fiducia venie: & quia fides est *Sperandarum substantia rerum,* ut dicitur Hebr. 11. etiam fides gignit spem. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, non jam propter supplicia, juxta illud Petri, *charitas operit multitudinem peccatorum* (intellige de charitate initiali, ut loquitur Trid. supra citatum) Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert, juxta illud Filii Prodigii: *Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Ergo principium poenitentiae, quantum est ex parte effectus nostri, est ex timore, re-motum ex timore servili, proximum ex timore filiali.

Dixi *Communiter, & ordinariè;* quia non semper accidit interdum enim aliquis movetur ad conversionem intuitu aeternæ mercedis, alter consideratione bonitatis Dei, &c. sed quia Deus qui suaviter omnia disponit, homines vocat convenienter eorum naturæ, & dispositioni, peccatores, ante delectationibus corporalibus assueti, ut plurimum trahunt metu poenarum: hinc est, quod communior modum perveniendi ad perfectam poenitentiam ponat D. Th. eum, qui ducit initium a timore. Ceterum, licet hi gradus non semper interveniant expressè, & eo ordine, semper tamen saltem virtute habentur, ita ut nulla sit vera poenitentia, quæ non habeat saltem virtualiter fidem, timorem, spem, dilectionem Dei super omnia. Hos gradus a D. Th. mutatis expressit Trid. sess. 6. c. 6. Quæ oppositi solent contra timorem servilem, discutientur infra.

DIGRESSIO HISTORICA.

De Poenitentia Salomonis.

Ad Dissert. Præced.

Utrum Salomon egerit poenitentiam?

Dico. Incertum est, Salomonem egerit poenitentiam. **Prob.** Ex Scriptura eruntur probabilia argumenta pro, & contra poenitentiam Salomonis: & inter SS. Patres, alii negant, alii asserunt ipsam poenitentiam egerit: ergo.

Momenta ex Scriptura pro adstruenda poenitentia Salomonis cum responsis negantium.

Primum momentum petitur ex promissione, quam Deus 2. Reg. 7. fecit David in favorem Salomonis his verbis: *Ego ero et in Patrem, & ipse erit mihi in Futurum. Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea:* ergo. Respondent Patroni adversè sententiæ, hanc promissionem intelligendam esse de misericordia temporali, & Regno terreno; non de misericordia spiritali, & gloria æterna; ita ut sensus sit: quod si Salomon iniquè se gesserit, Deus illum puniet aliis poenis, quam privatione Regni, sicut punierat Saulem. Hunc sensum aperte indicant ultima verba: *Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul;* eamque confirmant ea, quæ dicuntur 1. Paralip. 17. ubi post repetitam eandem promissionem immediate subjungitur: *Et statuam eum in domo mea, & in Regno meo usque in sempiternum, & thronus ejus erit firmissimus in perpetuum.*

Secundum momentum. Salomon scripsit librum Ecclesiastes, & librum Proverbiorum sub finem vitæ; atque caput 1. Ecclesiastes dicit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas,* quæ verba indicant ejus poenitentiam. Proverb. 24. secundum versionem 70. Interpretum dicit: *Novissimè ego egi poenitentiam, respectu ut eligerem disciplinam.* Et c. 30. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, &c.* ergo. Verum negant alii Majorum argumenti, scilicet hos libros scripsisse Salomonem sub finem vitæ. 1. Quia Salomon ipse Eccles. c. 2. dicit: *Sapientia quoquè persequebatur mecum;* quod sanè dici non potest de Salomone in libidine effuso, & in idololatriam lapso. 2. Quia Jesus Filius Sirach auctor Ecclesiastici c. 47. de Salomone dicit: *Quomodo eruditus es in juventute tua... in cantilenis, & proverbiiis, & comparationibus, & interpretationibus, miratæ sunt*

terrae... & inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua: ergo libros suos composuerat Salomon, priusquam amore mulierum inquinaretur.

Quod ergo in Proverbiis juxta versionem 70. Interpretum dicit: *Novissimè egi poenitentiam,* non dixi in propria persona, sed in persona, vel peccatorum, vel poenitentium, vel iustorum, quod frequentissimum est, tum in libris Salomonis, tum aliis Scripturis. Adde, quòd neque Paraphrasis Chaldaica, neque versio Syriaca, neque nostra Vulgata ullam faciat mentionem poenitentiae, sed in Vulgata legitur: *Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.* Quantum ad hæc verba c. 30. *Stultissimus sum virorum,* quidam arbitrantur non esse verba Salomonis, sed alicujus alterius divini spiritu afflatis, quia initium capituli sic habet: *Verba congregantis filii Vomentis.* Sed esto sint Salomonis, vult tantum iis significare miseram naturæ corruptæ conditionem, & ignorantiam, nisi illuminetur a Deo. Patet ex toto contextu.

Tertium momentum eruitur ex 3. Reg. 11. ubi dicitur: *Dormiit Salomon cum Patribus suis, & sepultus est in civitate David.* De Regibus autem impiis in impietate morientibus non dicitur, quòd dormierint cum Patribus suis, & quòd fuerint sepulti inter Reges, ut constat de Joram filio Josaphat, de Ochosia, Joas, & Achaz: ergo Respondent alii negando assumptum; quia etiam de impijs Regibus in sua impietate morientibus dicit, quòd dormierint cum Patribus suis, & fuerint sepulti inter Reges, ut de Roboam filio Salomonis 3. Reg. 14. de Abia filio Roboam ibid. 15. de Amasa 2. Paralip. 25.

Momenta ex Scriptura contra poenitentiam Salomonis cum responsis eam adstruentium.

Primum momentum. Si Salomon egerit poenitentiam, abstulisset occasiones peccandi, quas dederat; atque id non fecit; Idola enim, & Idolorum templa, quæ erexerat, non evertit, sed hæc manserunt usque ad tempora Regis Josiæ, qui illa destruxit, ut legitur 4. Reg. 23. *Excelsa quoque... quæ edificaverat Salomon Rex Israel Astaroth Idolis Sidoniorum, & Chamus offensionis Moloch, & Melchom abominationi filiorum Amon, polluit Rex Josias, & contrivit statuas, & succidit lucos, replevitque loca eorum ossibus mortuorum:* ergo. Respondent Patroni poenitentiae Salomonis 1. Vel Salomonem reverè evertisse hæc Idola, & fana sed postea ab aliquibus Regibus impijs instaurata fuisse in iisdem fundamentis: undè nomen Excelsorum Salomonis retinuerunt. 2. Etiam ea non destruxerit, indè non potest peti certum argumentum ejus impoententiae; potuit enim habere causas legitimas non destruendi, puta, vel illa clauserat, vel in alios usus converterat. Sicut, licet Manasses non destruxerit altaria Idolorum, quæ erexerat in duobus atrijs templi Domini, & ea manserunt usque ad Josiam, quæ illa destruxit; constat tamen ex 2. Paralip. 33. ipsum egerit poenitentiam, & pite odiisse. Sic, inquam, respondent: Veritas tamen est, quòd Manasses, licet non destruxerit ista duo altaria, attamen abstulit Deos alienos, & simulacrum de domo Domini... & in Jerusalem, & projecit omnia extra urbem, ut legitur loco citato Paralip. in quo dedit signum poenitentiae: nihil autem tale legitur de Salomone. Undè istud exemplum non videtur evacua re vim argumenti.

Secundum momentum. Solet Scriptura post recensita hominum peccata, eorum etiam poenitentiam, si egerint, commemorare, ut patet de Davide 2. Reg. 11. Ecclia. 47. & alibi, & de Manasse loco proxime citato Paralip; atque Scriptura peccata Salomonis refert, sed de ejus poenitentia silet: ergo. Huic argumento multipliciter occurrunt poenitentia Salomonis vindices. 1. Non concedunt absolutè Minorem, ut patet ex momentis pro prima sententia propositis. 2. Dicunt singularem librum Salomonis, in quo sua gesta concipserat, perisse, ut innuitur 3. Reg. 11. item perisse libros aliorum, scilicet Nathan Prophetæ, Athiz Silonis, & Adde Videntis, in quibus pariter erant conscripta gesta Salomonis, ut indicatur 2. Paralip. 9. In his autem, inquam, verisimile est accuratius descriptam fuisse Salomonis poenitentiam. 3. Dicunt, Scripturam multoties referre peccata ut Adæ, Lothi, Sunsonis, quorum tamen non refert poenitentiam, licet eam egerint. Undè negant Consequentiam argumenti.

Quantum ad SS. Patres.

Patrocinantur poenitentia Salomonis S. Cyrillus Catech. si 2. Illuminatorum, S. Epiphanius hæresi 41. S. Hieronym. Ep. 9. ad Salvinam, in c. 43. Ezech. & in c. 2. Ecclia. & alii. Adversantur poenitentia Salomonis S. Cyprianus Ep. 6. ad Rogatianum, S. Aug. libr. 22. contr. Faustum c. 81. & 88. 1. de Doctr. christ. c. 21. libr. 17. de civit. c. 20. S. Greg. Magn. libr. 2. moral. c. v. Bed. q. 29. in libr. Reg. Chrysost. vero modò in unam partem, modò in alteram propendit. Ex quibus omnibus legitime concludimus, incertum esse, num Salomon egerit poenitentiam.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE EFFECTIBUS POENITENTIAE.

D. Thom. qq. 86. 87. 88. 89.

ARTICULUS I.

De effectu principali Poenitentiae, scilicet de remissione peccatorum mortalium.

Quatuor potissimum quaerit in hac Q. 86. S. Thom. 1. utrum omnia peccata mortalia deleri possint per Poenitentiam. 2. utrum deleri possint sine Poenitentia. 3. utrum unum peccatum mortale possit remitti sine altero. 4. utrum, dimissa culpa, remaneat reatus poenit.

§. I. Utrum omnia peccata mortalia deleri possint per Poenitentiam, & sine illa?

Quamtu ad 1. responsio affirmativa probata manet ex art. 1. Diss. præcedentis, ique evincit ratio Auctoritatis. (*He q. 86. art. 1. o.*) Si aliquod peccatum non possit per Poenitentiam tolli in hac vita, ideo esset, vel quia aliquis de peccato poenitere non possat, vel quia Poenitentiam non haberet vim delendi peccata. Non primum; quia hoc esset tollere libertatem arbitrii, cujus proprium est esse in hac vita flexibile in bonum, & malum; & derogare virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujusvis hominis ad poenitentium. Non secundum, quia hoc repugnat divinæ misericordiæ, de qua dicitur Joël 2. quòd *Benignus, & misericors est, pateriens, & multa misericordie, & prestabilis super malitia.* Vinceretur etiam quodam modo Deus ab homine, si homo vellet peccatum deleri, quòd Deus delere non vellet. Item derogat virtuti Passionis Christi, per quem poenitentia operatur. Alia plura require loco citato.

Quantum ad 2. illud negavimus, & expendimus in Tract. de gratia Diss. 7. art. 2. §. 2. Concl. 1. ubi probavimus, justificationem impij non posse fieri per solum favorem Dei extrinsecum, sine mutatione intrinseca peccatoris; quæ est Poenitentia: tum quia peccata remitti non possunt nisi ex gratia, benevolentia speciali, ac dilectione Dei; hæc autem cum sit effectiva, & non solum affectiva, reddit hominem gratum, justum, & ex averso a Deo ad illum convertitur: tum quia ex eo quòd Deus incipit diligere peccatorem, quem prius odio habebat, intervenit aliqua mutatio; non ex parte Dei, quæ est immutabilis: ergo ex parte peccatoris. Hæc, & alia require loco citato. Addo nunc pro ulteriori probatione. Quòd Deus dicatur offensus, est denominatio extrinseca proveniens, non ex voluntate Dei, sed ex voluntate aversa peccatoris; atque denominatio extrinseca tolli non potest, nisi ablato actu, vel forma a qua provenit. Sic v. gr. quia paries denominatur extrinsece visus ab actu videntis, non potest tolli ista denominatio, nisi cessante visione, a qua procedit: ergo.

Petes, de qua potentia id sit intelligendum? R. intelligendum esse non solum de potentia ordinaria, sed etiam absoluta; cum hoc discrimine, quòd loquendo de potentia ordinaria, necessaria sit per se poenitentia formalis; loquendo vero de potentia absoluta, sufficit, & requiritur poenitentia eminentialis, seu radicalis, eadem persona manente.

Prob. 1. pars. 1. Quia aliter non possunt commode explicari Scripturæ præcipientes poenitentiam, ut illud, *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similis peribitis, & similia;* neque verba Tridentini sess. 14. cap. 4. dum dicit: *Fuit quoque tempore ad impetrandam veniam peccatorum is contritionis motus necessarius.* Item, cum definit ibid. contra Lutherum, *Poenitentiam necessariam non solum continere cessationem a peccatis, sed etiam eorum detestationem... nec solum novæ vitæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium.* Si intelligeret de odio peccati implicito, nihil definiret contra Lutherum; is enim negare non poterat, nec negabat odium vitæ præteritæ implicitè contineri in proposito novæ contrariæ. Ratio etiam suadet; quia ordinata rerum dispositio exigit, ut voluntas, quæ in sua aversione a Deo facta est illi impia, & injusta, ad eum redeat per modum vindictæ, & expiationis.

Dixi per se; quia per accidens sufficere potest implicita, & virtualis poenitentia, qualis continetur in actu perfectæ dilectionis Dei. Casus est: si quis post diligentem inquisitionem, aut ex naturali oblivione non recordetur peccatorum, sufficit ad remissionem illorum, si eliciat actum perfectæ charitatis. Alter casus est: si *Theolog. Billuarts. Pars Tertia.*

subito raptus ad martyrium ex nimia contentione ad actum charitatis, vel fortitudinis impediatur ab actu formali contritionis, vel attritionis. Tertium casum probabilem reputat Gonet: si quis memor suorum peccatorum eliciat actum perfectæ charitatis, & non contritionis explicitæ, eo tempore quo non obligat contritionis præceptum. Verum videtur implicare, quòd quis memor suorum peccatorum eliciat actum perfectæ dilectionis Dei, non detestando offensas contra ipsum commissas. Nec refert, quòd præceptum contritionis non obliget pro semper; ubi enim agitur de remissione peccatorum, necesse est, quòd adimpleatur; quia est medium ad id ordinatum, & sine ejus adimpleatione peccata remitti non potest.

Prob. 2. pars. Quamvis, juxta communem rerum ordinem, & potentiam Dei ordinariam, connaturalis sit omni formæ supponere subjectum dispositum, consequenter gratia non recipitur connaturaliter in adultis sine prævisis eorum dispositionibus, & eorum consensu; non implicat tamen, quòd Deus infundat peccatori dormienti gratiam, aut ipsam elevant ad gloriam, quo casu omne peccatum illi remittitur, utpotè impossibile cum gratia, vel gloria; idque sine poenitentia formali, ut patet; non tamen sine eminentiali, quia gratia est radix bonæ voluntatis in ordine supernaturali, & intellectu rectificato per visionem beatificam, censetur rectificata habitualiter, & radicaliter ipsa voluntas, cujus intellectus est radix. Idem dicendum, si Deus uniret sibi hyposstaticè peccatorem.

Dices 1. Deus potest annihilare peccatorem, & eundem numero producere; atque in illo casu homo productus non haberet amplius peccatum; Deus enim non reproducet illud, neque ipsa hominis voluntas, cum nihil ageret in sui reproductione, & tamen nulla foret poenitentia etiam radicalis. 2. Si Deus reduceret peccatorem ad statum naturæ puræ, redderetque illi rectitudinem naturalem sine supernaturali, iste homo nihil haberet poenitentiae, quæ est virtus supernaturalis, neque haberet peccatum, quia est impossibile cum rectitudine naturali: ergo. R. ad 1. quòd, quamvis in hoc casu remaneat eadem persona entitative, non tamen eadem continue, quia annihilatur, & reproducitur, & in illa annihilatione perit omnino, & persona, & peccatum, quod, ut probat bene argumentum, potest non reproduci cum persona. Dixi autem in Responsione: *manente eadem persona.* Nec mirum, si hunc casum excipiamus: peccatum enim non denominatur naturam, nisi cum ordine ad personam peccantem, quia natura non peccat ut quod, sed suppositum; undè, destructa persona, quæ peccavit, non restat peccatum. Hæc etiam ratio currit pro casu, quo Deus uniret sibi hyposstaticè peccatorem. Ad 2. talis homo, qui haberet rectitudinem naturalem, haberet etiam naturalem immutationem voluntatis convenientem illi statui. Neque peccatum in hoc casu censetur remissum nisi inadæquate in ordine ad rectitudinem naturalem, non in ordine ad statum supernaturalem, quem Deus destruxisset.

§. II. Utrum unum peccatum mortale possit dimitti sine alio?

Dico, (*Ib. ad 3. o.*) Non potest per poenitentiam unum peccatum mortale remitti sine alio. **Prob. 1. (Ib. in art. 5. c.)** ex L. de vera, & falsa poenit. cap. 9. apud Pag. *Sunt,* inquit, *quos poenitet peccasse, sed non omnino, revocantes sibi quædam in quibus delectentur; non animadvertentes, Dominum simul mutum & surdum a Demone liberasse, per hoc docens nos nunquam nisi de omnibus sanari.* **Prob. 2. (Ib. o.)** Nullum potest remitti peccatum mortale sine infusione gratiæ, ut patet ex §. præced. & præsertim ex loco illic cit. de gratia Concl. 2. atque quodcumque peccatum mortale est impossibile cum gratia, ut late probavimus eodem loco cit. de gratia art. 3. ergo. 3. Peccatum mortale non potest remitti sine vera poenitentia; (*Ibid.*) atque non potest esse vera poenitentia de uno peccato, nisi sit de omnibus: ergo. **Prob. Min.** Quia ad veram poenitentiam pertinet detestari peccatum sub ratione communi omnibus peccatis, scilicet quatenus sunt contra Deum; ergo non potest esse de uno, quin sit de omnibus. 4. Quamvis omnia peccata mortalia non sint inter se connexa secundum conversionem ad bonum commutabile, non enim qui facit furtum, statim reus Est est